DE ERYSIPELATE.

TENTAMEN INAUGURALE

DE

ERYSIPELATE;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS NEWENHAM,


SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXXII.


LIBRARY

PATRUO SUO CARISSIMO,

THOMÆ NEWENHAM,

ARMIGERO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMI IN EUM GRATI PIIQUE

PERTENUE INDICIUM,

D. D. D.

AUCTOR.

VIRO EXIMIO

GULIELMO P. ALISON, M.D.

IN ACADEM. EDINBURG. MEDICINÆ THEORET.

PROFESSORI,

COLLEGII REGII MED. EDIN. SOCIO.

SOCIET. REG. EDIN. SOCIO.

&c. &c.

HOCCE TENTAMEN

PEREXIGUUM SED SINCERUM OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM CONSECRAT

AUCTOR.

TENTAMEN INAUGURALE

DE

ERYSIPELATE.

AUCTORE, HENRICO NEWENHAM.

Quum Doctoris Gradum ab hac alma Academia Edinburgena petenti de re aliqua scribere necesse sit, pauca de Erysipelate edere institui, non ea spe, ut quidquam novi de morbo toties celeberrimis medicis tractato, proferre possim, sed potius ut ipse mente melius teneam, quæcunque memoria dignissima sunt, de morbo, cujus videndi oculis multæ in hac urbe occasiones nuper fuerunt; quando solito longe frequentius inter populum incideret. Attentionem autem medicorum, ob multa, morbus sibi vindicat: plu-

rimas induit formas, et alia curatione in aliis opus est nec de ullius morbi curatione idonea magisquam de hujus apud medicos ambigitur.

Nemo igitur, qui non tempus et diligentiam ad morbum cognoscendum adhibebit, illum commode tractare sub quavis ejus forma, multo minus singulis ejusdem exemplis inter se diversis remedia accommodare sciet.

In animo autem est primum de morbi historia dicere, deinde de ordine divisionibusque Nosologicis, tum de Indiciorum Ratione deque Causis, postea de Prognosi, postremo de Medendi ratione et opinionibus quæ circa hanc rem prolatæ sunt.

DE MORBI HISTORIA.

Erysipelas nunc subito invadit, nunc non nisi, prægressâ febre duarum vel trium dierum ; alias alio tempore corporis partes occupat ; interdum, hic morbus solus urget, interdum alios morbos comitatur ; multos homines eadem tempestate sæpissime aggreditur, adeo ut a quibusdam con-

tagiosus habeatur. Aliquando in febribus incidit et sæpius in iis quæ formam synochæ induunt. Et in his, si pulsus jam infirmiores evaserunt, accedente Erysipelate, pleniores durioresque sese præstant. At si Typho graviori Erysipelas se comitem junxit, (quod rarius in nostris regionibus conspicitur,) febris magis pestifera redditur, quæ nonnunquam more pestis inter populum vulgatur.* Hydrope interdum, nunc Ictero, implicitos Erysipelas occupat. Vulnera sæpe comitatur, ea imprimis in quibus caput læsum aut ossa fracta sunt. Simul cum apostematis magnis atque ulceribus, quæ Carcinoma excitaverit, corpora sæpe infestat. Denique ubi vermes in intestinis hospitant, et ubi venena in corpus recepta sunt, hoc malum aliquando conspicitur.

Morbus vulgatior in senibus est, raro aliquem, priusquam pubes venit, invadit; hominem, quem ante exercuit, sæpe aliquoties fatigat, nec desunt argumenta ex quibus malum nonnunquam

---

* Vide "Wilson Philip on Febrile Diseases."

existere hæreditarium credere liceat, certe homines hujus quam illius generis frequentius plectere compertum est.

Erysipelatis indicia autem plerumque sunt tumor in aliqua cutis parte diffusus, inæqualis, urens, colore rubicundo, qui sub premente digito fere evanescit et plerumque in flavedinem cutis mutatur. Pulsus citi, sæpius duri, sanguinis missi crusta coriacea, color corporis auctus atque aliæ febris synochæ notæ. Os præterea ægrotanti amarum est, lingua sordida sæpe flava, ventriculi dolor, ructus, nausea urgent, vomitu atque dejectione sæpe biliosis homo exercetur, caput ei dolet ; non rite mente utitur, vertigo, et, si morbus faciem occupavit, delirium et coma sæpe adsunt.

DE MORBI ORDINE DIVISIONIBUSQUE NOSOLOGICIS.

Magnæ apud medicos moventur controversiæ ad quem morborum ordinem Erysipelas referre, et in quas species idem dividere oporteat.

Cullenus vir in arte morbos disponendi celeberrimus, id inflammationis genus, quod in Erysipelate conspicitur, erythema nominari cupit et malo hujusmodi nomen Erysipelas imponere nonvult, nisi febris duarum vel trium dierum inflammationem antecessit. Et quoties malum, prægressa febre, incidit, inter exanthemata recenset. Nihilosecius plerique Medici, nullo discrimine, vocabulo Erysipelate utuntur, et cum inflammationem per se et eum morbum, cujus ea inflammatio tantummodo pars est, significare volunt. Et Clarissimus Willan, hunc morbum inter cutis vitia in Bullarum ordine posuit; quod minime convenit, quippe malum etsi aliquando tantummodo cutis affectio, sæpius in toto corpore consistit et omnino quod ad periculum et curandi viam attinet, a cutis vitio distat. Quanquam autem opinionibus eorum, qui putant Cullenum recte de hac re judicasse, accedo; vocabulum tamen Erysipelas plerumque in hocce tentamine pono ea significatione qua vulgo in medicorum libris accipitur.

Alii de Erysipelate Phlegmonode, Œdematode, Gangrænoso, Erratico;* alii de Erysipelate bilioso et Phlegmonoideo † loquuntur; alii denique Erysipelas in speciem Idiopathicam, speciem Symptomaticam et speciem Occasionalem‡ diducunt. Œdema et Gangræna non secus atque alia vitia procul dubio cum Erysipelate sæpe conjunguntur. At si liceret tot morbi species, quot sunt vitia, quæ eundem comitantur, constituere, hæ pene innumeræ fierent; qua dere eos sequor, qui judicant divisionem morbi, de qua primum agitur, inutilem esse. Divisionis, quæ proxima est, species duæ vix satis inter se distingui videntur. Tertia divisio haud ita multum a Culleni dispositione differt, quæ satis commoda et morbi formis consentanea videtur.

DE INDICIORUM RATIONE.

Quum non licet causam morbum continentem sive morbi rationem attingere, nihil amplius con-

---

* Vide Willan. † Vide Desault. ‡ Vide Bursieri.

ceditur, quod ad mali intimam naturam pertinet, quam de Indiciorum Ratione paucis disserere.

A rubore et tumore partis incipiam. De conditione vasorum per partem inflammatione affectam sanguinem vehentium, plurimæ opiniones subinde prolatæ sunt, nec adhuc plane patet, quæ harum proxima vero accedat. In sententiam autem eorum ire malo, qui putant arterias partis inflammatione laborantis justo infirmiores esse atque, ex sanguinis motu languidiore, pleniores. Si huic opinioni igitur assentimur, Rubor et Tumor in morbo, de quo agitur, sicut in aliis inflammationibus, ex vasis sanguiferis sanguine refertis oriuntur.* Rubor eo evanescit, affectâ parte pressâ, quod vasa tenuia prope corporis superficiem posita facile sic comprimuntur ut sanguis iis expellatur. De aucto partis calore, quoniam opiniones de caloris animalis origine non

* Nihil fusius dixi de hac inflammationis ratione quam ad explicandam ruboris et tumoris causam sufficiat. De tota ratione de qua dictum est. Vide " Wilson Philip on Febrile Diseases," in tom. II. et " Thomson's Lectures on Inflammation."

constant, omnia prætermittere optimum judico. De causa cordis et arteriarum magnarum actionis auctæ, nihil compertum adhuc habemus, nisi quod corpus ea lege regi videtur, ut, quoties partis inflammatio vehemens incidit, genus nervosum ita afficiatur, ut cordis et vasorum magnorum citiores moveat contractiones. Fieri potest quidem, ut impeditus sanguinis transitus per exigua vasa partis inflammatæ aliquando magna vasa sanguifera plus æquo impleat, unde eorum actio nimia excitari potest. Vix dicere opus est, duros citosque pulsus atque auctum corporis calorem ab aucto cordis arteriarumque motu afferri.

Functionescorporis, quæ naturales nominantur, turbatæ atque impeditæ, (quod in omnibus morbis acutis, et utique in Erysipelate fieri solet,) os amarum, linguam sordidam, ventriculi dolorem, ructus, nauseam, vomitum atque dejectiones biliosas praestant. Capitis dolor et mentis functio male se habens partim ex nimio sanguinis impetu versus caput, partim ex consensu cum laborante ventriculo, originem habent. Coma et delirium, ubi morbus caput occupat, pro causa

agnoscunt inflammationem cerebri aut simul cum partis exterioris affectione invadentem, aut ab eadem introrsum ad cerebrum tendentem. Attamen vix satis patet quamobrem, Erysipelate quasvis trunci aut membrorum partes infestante, Sopor fere semper sit in promptu.

DE MORBI CAUSIS.

In animo esse nihil de causa morbum continente dicere jam supra positum est; protinus igitur breviter enumerare causas, quæ hominem procliviorem ad morbum faciunt et eas quæ, in homine jam proclivi facto, morbum excitent, incipiendum est.

Ex causis quæ hominem malo obnoxium reddunt, haud multæ huic propriæ cognoscuntur; harum pleræque non aliæ sunt, atque eæ, quæ ad alios morbos inflammationem habentes proclivitatem dant: nimirum quæ plenitudinem corpo-

ris insolitam efficiunt. Attamen inter causas prædisponentes hujus morbi quidam recensere consueverunt varia escarum genera, veluti cepe, allium, quædam piscium genera, ut ostreas, musculos et alia similia.

Feminæ præterea, quæ uterum gerunt, opportuniores, ut fertur, huic malo sunt.

Inter causas, quæ morbum excitant vulgo recensentur subitæ tempestatis mutationes, calor ingens, victus justo plenior, liquoris validi potio immodica, humoris e corpore quævis detractio, postquam in consuetudinem adducta est, suppressa ; cujusmodi sunt fonticuli sanati, profusio sanguinis ab ano contracta, sanguinis missio non tempore, quo consuevit, peracta, menstrua suppressa. Acria præterea mechanica aut chemica extrinsecus admota, ventriculus aut intestina male se habentia ; porro varii animi motus, sicut ira, terror, animi anxietas ; postremo his accedunt quædam Hepatis Vitia.

DE PROGNOSI.

Erysipelas rarius aliquem extinguit; plerumque post dies octo decemve decedit. Aliquando tamen longe diutius ægrum trahit; nec desunt exempla, ubi hominem tres aut etiam plures menses vexavit. Si malum est in capite, periculosius, si in artubus fere morbi diuturnitate sæpius plus molestiæ facessit.

In senibus quam in aliis periculosior morbus est. Si cum aliis morbis junctus sæpenumero periculosior quam si solus invadit, utique si typhum graviorem comitatur. Si in capite est, quoties omnia indicia vehementiora et imprimis, si delirum aut coma intenduntur, adhuc magis, si ab initio morbi adfuerunt, gravius periculum denuntiatur.

Ubi malum in artubus incidit, si inflammatio late serpsit, et tumor ingens est, scire licet morbum diuturnum fore. Si rubor, pressa parte, non evanescit, suppurationis metus est. Si Gangrænæ indicia accedunt, periculum pro eo est, ut

hæc sunt vehementiora. Si levia tantummodo, periculo fere carent, si gravia, maximum habent.

DE RATIONE MEDENDI DEQUE OPINIONIBUS QUÆ CIRCA HANC REM PROLATÆ SUNT.

Quum hic morbus plurimas induit formas et nunc levis, non nisi in parte corporis, eâque forte minoris momenti, positus, parum offensæ creat; nunc gravior aut partem nobiliorem premens, totum corpus nec sine periculo vehementer perturbat: nunc demum cum aliis morbis pestiferis conjunctus, quam maximum affert periculum; quum præterea sæpissime sine ulla medici ope post certum tempus decedit, interdum tamen neglectus, modo plurimum molestiæ habet, modo cito hominem abripit, factum est, ut de ratione medendi multum apud medicos ambigatur. Namque omnes fere causæ fallaciæ, cui ars medicinalis obnoxia est in morbo de quo agitur, simul concurrunt. Morbus sponte decedit, remedia lau-

dem immeritam referunt. Morbus levis facile remediis adhibitis cedit; credunt eadem remedia quamlibet morbi formam esse submotura. Malum sæpissime ab alio morbo simul urgente pendet, quo remediis sublato, sanitas redit et ea remedia, quæ id, quod eo tempore forte erat morbi causa, submoverunt, perpetua ejusdem auxilia habentur. Remedia quoque, quæ morbum fugant, ubi in aliis partibus insedit aut hominem alia ætate occupavit, non omnino in aliis partibus, in aliisque ætatibus respondent; unde multum est fallaciæ. Non mirum igitur est si medicorum præcepta parum inter se constant, quum ea proponere volunt, quæ omnibus morbi exemplis communia futura sint.

Morbus præterea ab antiquissimis temporibus Europeos homines vexavit (in quo ab aliis Exanthematis dissimilis est.) Unde evenit ut medendi via nova usque instituta sit, prout opiniones medicorum mutationes subierunt. Sæpissime enim factum est ut mutaverint medendi consilia, quæ experientia aut reperisset aut comprobasset, quia novæ morbi rationi, quam sibi forte finxissent, non satis juste responderent.

Et ita deinceps, hac morbi ratione obsoleta, et alia in ejus locum suffecta, antiquam medendi viam submoverunt aliamque attulerunt. Hinc pene tot medendi viæ mutationes fuerunt, quot morbi rationes per omne tempus fictæ sunt. At tempus in presentia vetat harum mutationum historiam exsequi. Quamobrem ad remedia, quæ hodie adhibentur, opinionesque, quæ de iis tenentur, proponendas protinus est transeundem.

Remedia quibus hodierni medici in hoc morbo curando utantur aut totum corpus aut tantummodo partem laborantem afficiunt.

DE SANGUINIS MISSIONE.

Ex priore genere sanguinis missio primum locum merito sibi vindicat. Ab ea igitur incipiam: sanguinis missio sæpe non nisi ingenti vitæ discrimine omittenda est; interdum parum convenit, nonnunquam plane nocet. Plurimum interest igitur novisse quando ad hoc auxilium confugendum, quando idem sit alienum. Quod de hac re Celsus in curatione hujus morbi ex-

ponenda præcepit commodum est. "Oportet, si vires patiuntur, mittere sanguinem."* Non omnes tamen medici nostris temporibus, hujus præcepto parere volunt. Alii enim sanguinis detractionem vix dignam judicant, quæ inter remedia morbi ponatur.† Alii eam raro præcipiunt, quippe quam sæpius nocuisse quam profuisse arbitrantur.

Quam vere autem Celsus judicaverit plane patet ex experientia medicorum in hac urbe alliisque locis, ubi Erysipelas nuper creberrime incidit; inter quos plerosque constat nihil fere magis proficere quam sanguinis missionem.

Gregorius quidem vir celeberrimus nunc jure desideratus, cum in prælectionibus suis docuerat, alios sanguinis missionem, alios vinum et Corticem Peruvianum in hoc morbo præcepisse, et utrosque ægrotantes ad integritatem perduxisse, dicere solitus est inde colligi potuisse neutram curationem multum ad sanitatem contulisse, sed

---

* Vide Celsus, Lib. I.

† Vide Edin. Med. and Surg. Jour. No. LXIX.

morbum sæpissime sponte decessisse. Haud dubito quin morbus sæpe sponte se tollat; at, quum omnes fatentur illius naturam eam esse, ut sæpenumero is, qui levissimus videtur, ex repentino et sine evidente causa adeo ingravescat, ut in maximo periculo agrotans versetur, discernere fas est detractionem sanguinis nunquam tuto prætermitti si vires patiuntur. Plerique sat putant sanguinem mittere siquando, malo faciem infestante, Delirium, Coma aliaque signa læsi cerebri urgent; at inter eos, qui nuper in hac urbe eo morbo laboraverunt, plures fuerunt quibus, decurrente morbo, cerebrum vehementer affectum est ex artuum inferiorum Erysipelate. Ex quibus unum certe novi (quot alii eandem sortem subierint nescio) quem inundatio ventriculorum cerebri, post pedis Erysipelas, interemit. Et alterum cruris dextri Erysipelate affectum in quo omnia læsi cerebri indicia accesserunt, quem cruris suppuratio per duos menses in lecto detinuit. Et alia exempla mihi impromptu est dicere, ubi Erysipelas cruris insedit, in quibus cerebrum vehementer affectum est atque ægri

diu morbo tracti sunt. Et in his omnibus, de quibus ipse quidquam certiscio, sanguis in initio non missus est. Sed de iis, a quibus sanguis statim, accedente morbo, detractus est, non audivi unum quidem diu vexari.

Optime convenit inter initia mali; si per aliquod tempus exercuit, sine dubio, nisi ægri sint robusti, nocebit. In senibus parce adhibenda est, et non, nisi res maxime postulant, idonea est. Si Erysipelas adjectum est Typho graviori aut cuivis alii morbo, in quo magna infirmitas urget, plane est aliena.

DE PURGANTIBUS.

Ex remediis, quæ Diathesin Phlogisticam corporis imminuant, locum missioni sanguinis proximum alvum solventia tenent. Quibusdam placet satius esse in hoc morbo illam corporis conditionem, a qua inflammatio pendet, mutare, alvum movendo, quam sanguinem de-

trahendo, propterea quod, Erysipelate urgenti, canalis alimentarius fere semper male se habet. Purgantia profecto multum proficiunt, quippe quæ tum sanam canalis alimentarii actionem moliantur, tum sanguinem a capite ducant, necnon Diathesin corporis Phlogisticam imminuant: at caute sanguinis detractioni in hoc malo sunt anteponenda, et non, nisi morbus is est, ut nihil metûs habeat, aut res plane venæsectionem prohibeant.

Medicamenta, quæ optime conveniunt, sunt aut Sales Medii, sicut Sodæ Sulphas, Magnesiæ Sulphas, Potassæ Tartras, aut Pulv. Jalapæ compositus, Sennæ Infusum, Tamarindi aliaque similia quæ alvum solvunt. Horum quodvis semper adhibere opus est nisi alvus cita urget. Quod si incidit commodum est Oleum Ricini aut Sulphatem Magnesiæ, ex multa Aqua Menth. Piper. subinde præcipere.

DE REMEDIIS QUÆ NAUSEAM VOMITUMQUE MOVENT.

Aliquando prodest vomitum ad initium morbi movere, at si quid offensæ in cerebro est, vomere maxime inimicum est. Vomitus dicitur maxime salutaris essein ea morbi specie, si qua est, quæ biliosa cognominatur. Medicamenta, quæ nauseam creant in hoc morbo, non secus ac in aliis, quæ inflammationem habent, multum laudata sunt. Et potissimum Tartras Antimonii parva quantitate subinde sumptus nuper multum decantatus est, sicut remedium mali præstantissimum. De ejus effectibus ex propria experientia loqui nequeo. Eundem proficere dicunt, etiamsi tantummodo Diaphoresin expediat et urinam moveat. Diaphoretica profecto non inutilia sunt, quanquam nemo sanus morbum per ea submoveri posse sperat.

DE VICTU ET REGIMINE.

Diæta tenui opus est; ex frugibus quæ refrigerant conflari debet. Potus validus, sicut in aliis hujusmodi morbis, plerumque nocet. Aegrum quiescere, et si potest, sedere erectum oportet.

DE STIMULANTIBUS ET ROBORANTIBUS MEDICAMENTIS.

Ad vinum et Corticem Peruvianum nonnunquam confugere necesse est. Si quando malum cum Typho graviori conjungitur, aut citra hanc infirmitas virium vitæ maxima accessit, ut in senibus et hominibus cælo torrido exhaustis, hæc ægris liberaliter sunt concedenda. Simul cum his alia remedia stimulantia, quæ vires vitæ recreare solent, cum deficiunt, sumere licet. At semper mente tenendum est nunquam fas esse hæc remedia temere præci-

pere; quando in plenitudine utentibus summum periculum afferre possint.

DE REMEDIIS QUÆ PARTI LABORANTI ADMOVENTUR.

OPINIONES alias alii medici sustinent de modo quo partem affectam tractare conveniat. Hi remedia specialia omnino tollunt, et quidquam admovere vetant; illi varia medicamenta proponunt quæ, sicut opinantur, maxime proficiunt. Detractio sanguinis specialis sæpe est salutaris; ea autem non semper tuta est; nam cucurbitulæ cum ferro plerumque Erysipelas latius se diffundere faciunt: Nec hirudines semper eodem incommodo carent. *Epispastica* raro conveniunt nisi ad eliciendam inflammationem, quæ repressa est, et parti interiori insedit. *Refrigerantia*, ut solutiones Acetatis Plumbi, Sulphat. Zinci, Muriat. Ammoniæ; Emollientia, sicut Aqua tepida, Altheæ Officinalis Decoctum, Anthemidis Nobilis Infusum, Cataplasmata ca-

lida aliaque similia laudantur. Refrigerantia et fortasse ex his quædam alia conveniunt, si malum in artubus est, et ægrotanti jucunda sunt. Sed si caput morbi sedes est, hæc omnia aliena videntur, quippe quæ vitium introrsum pellant et cerebrum lædant. In nostris regionibus nihil capiti imponitur et a multis nihil aliis partibus nisi pauxillum pollinis Tritici vel farinæ Avenaceæ, quorum posterius melius convenire videtur, quia minus sæpe in crustas duras, ex partis humore, colligitur. Si in pus inflammatio abit, Cataplasmata Emollientia postulantur, et ubi tempus est, pars ferro incidenda est, quo pus plene emittatur. Porro sæpenumero utile est partem, quæ supra, quæque infra est, ligatura circumdare ne pus se diffundat per telam cellulosam et in sinibus coacervetur.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CEREBRI CONCUSSIONE
ATQUE COMPRESSIONE;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS THOMAS NICHOLSON,
AB INSULA NEVIS,
[illegible]
[illegible]

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXVIII.